



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid sit detractio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

magna te expectabit patientiæ corona, Matth. 5. Beati eritis cum oderint vos homines propter veritatem, & car.

## CAPVT XVI.

## ARGVMENTA.

1. *Quid sit detractio.*
2. *Quomodo detractor teneatur ad restitutionem fame proximo ablata.*
3. *Quomodo puniatur à Deo detractio.*



**D**etractio est malus & falsus sermo, quo proximus in fama læditur & honore priuatur, idque in absentia: nam sicut noctua non in die, sed in tenebris volat: sic detractor non in faciem, sed dorsum loquitur. de talibus dicit Apostolus Romanor. primo, detractores Deo odibiles. odit enim Deus illos, & est spiritualis homicida omnis detractor. nam ille cui detrahitur, in conscientia eius qui audit illam detractioem, occiditur, in cuius conscientia prius vivebat per bonam famam: & tale homicidium grauius est corporali: nã in corporali homicidio corpus vnus occiditur, hic autem multorum animæ, nempe detractoris & auditoris seu auditorum. deinde grauius est hoc peccatũ homicidio naturali, quia serpit de vno ad alium: nam vnus est sæpè qui loquitur, & tamen vnum verbum in eodem momento multitudinis audientium, dum aures trãfigit, animas interficit: hoc non fit in homicidio corporali. Est autem sicut cætera peccata, contra scripturam Exo. 22. Dijs (id est, superioribus) non detrahes. & Iacob. 4. Nolite detrahere alterutrũ & car. Sed nemo est qui audiat hoc peccatum esse inhibitum à D E O. Præterea hoc peccatum comparatur cani, Ecc. 19. sagittã infixã femori canis, sic verbum in ore stulti. canis sagittam habens

NN 2 in fe

in femore, non quiescit donec remouerit: sic stultus quiescere non potest, donec verbum quod audierit, alijs retulerit: similes sunt porco, qui prius os quàm pedes coinquinat, & ingrediens hortum, potius lutum quàm flores inuadit. Sic est os detractoris, etsi manus non vulnerat, tamen os lædit, & carpit inferiora proximi, id est, lutum: non autem flores, id est, bonitates eius refert, sunt quoq; similes Iudæ, qui occulto signo Christum prodidit &c.

2. Secundo, quum furtum sit spiritualis detractio, quod Dominus prohibuit Leuitic. 19. furdo (hoc est, absenti) ne detrahas vel maledicas. nam vt dicit Salomon Prouerb. 22. melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Igitur qui furatur alteri famam, plus facit quàm si aurum & argentum: vestes & alia furatur & cæt. Et quoniam peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur, quia talis nondum dolet peccasse se interim dum retinet ablatum: ergo non potest consequi remissionem & salutem, nisi restituat & doleat: qui igitur, vt Gerson ait, lædit iniuste infamando proximum, tenetur restituere damnum illatum, & retractare id, quod falsò imposuit, ita publice & coram illis, sicut & coram quibus diffamauit: nam per bonam famam multa conciliantur bona apud populum, vt patet in concionatoribus, prælatis, gubernatoribus: & è diuerso per infamiam multa mala fiunt, nempe contemptus superiorum, inobedientia, &c. Ob eam igitur maximè causam Deus prohibuit, ne superioribus detraheremus, Exod. 22. At quidam inquit: Verum dico de illo, & nõ mentior. Respon. Deut. 16. præcipitur, Quod iustum est, iuste exequere: id est, habes caput & ordinem iudicij: illic appella & loquere, si quid iustum vel iniustum habes. Sed occultè & absenti & apud quosuis detrahere, hoc enorme est peccatum. Sunt quoque tales detractores peiores ipsis canibus, lupis ac cæteris feris: nam illi deuo.